Ασία. Βυζάντιο

Αιγ. Πόντος. Προσόδους. Χρυσούν Κέρας

XIX Piscium genus omne praecipua celeritate adolescit, maxime in Ponto. Causa multitudo amnium dulces inferentium aquas. Amiam vocant, cujus incrementum singulis diebus intelligitur. Cum thynnis haec et pelamides in Pontum ad dulciora pabula intrant gregatim cum suis quaeque ducibus: et primi omnium scombri, quibus est in aqua sulphureus color, extra qui caeteris. Hispaniae cetarias hi replent, thynnis non commeantibus. Πλίνιος Φυσ. Ιστ. Βιβλ. IX

XX Sed in Pontum nulla intrat bestia piscibus malefica, praeter vitulos et parvos delphinos. Thynni dextra ripa intrant, exeunt laeva. Id accidere existimatur, quia dextro oculo plus cernant, utroque natura hebete. Est in euripo Thracii Bosphori, quo Propontis Euxino jungitur, in ipsis Europam Asiamque separantis freti angustiis, saxum miri candoris, a vado ad summa perlucens, juxta Chalcedonem in latere Asiae. Hujus aspectu territi semper adversum Byzantii promontorium, ex ea causa appellatum Aurei cornus, praecipiti petunt agmine. Itaque omnis captura Byzantii est, magna Chalcedonis penuria mille passuum medii interflu-

ΑΚΑΔΗΜΙΑ ΑΘΗΝΩΝ

Αγρεία. Βυζάντιον. 6

antis euripi. Opperiuntur autem Aquilonis flatum, ut secundo fluctu exeant e Ponto, nec nisi intrantes portum Byzantium capiuntur. Bruma non vagantur: ubicumque deprehensi, usque ad aequinoctium, ibi hibernant. Iisdem saepe navigia velis euntia comitantes, mira quadam dulcedine per aliquot horarum spatia et passuum milia a gubernaculis spectantur, ne tridente quidem in eos saepius jacto territi. Quidam eos qui hoc e thynnis faciant, pompilos vocant. Multi in Propontide aestivant. Pontum non intrant. Item soleae quum rhombi intrent, nec sepia est quum loligo reperiatur. Saxatilium, turdus et merula desunt. sicut conchylia quum ostreae abundent. Omnia autem hibernant in Aegaeo. Intrantium Pontum soli non remeant trichiae. Graecis enim in plerisque nominibus uti par erit, quando aliis easdem diversi appellavere tractus. Sed hi soli Istrum amnem subeunt: ex eo subterraneis ejus venis in Adriaticum mare defluunt: Itaque et illic descendentes nec unquam subeuntes e mari visuntur. Thynnorum captura est a Vergiliarum exortu ad Arcturi occasum: reliquo tempore hiberno latent in gurgitibus imis, nisi tepore aliquo evocati, aut pleniluniis. Pinguescunt et in

ΑΚΑΔΗΜΙΑ ΑΘΗΝΩΝ

Αγρια. Βυζάντιον.

tantum, ut dehiscant. Vita longissima his biennio.

XXI. Animal est parvum, scorpionis effigie, aranei magnitudine. Hoc se, et thynno, et ei qui gladius vocatur, crebro delphini magnitudinem excedenti, sub pinna affigit aculeo: tantoque infestat dolore, ut in naves saepenumero exsiliant. Quod et alias faciunt aliorum vim timentes, mugiles maxime, tam praecipuae velocitatis, ut transversa navigia interim superjaciant.

XXII (XVI). Sunt et in hac parte naturae auguria, sunt et piscibus praescita. Siculo bello ambulante in littore Augusto, piscis e mari ad pedes ejus exsilivit: quo argumento vates respondere, Neptunum patrem adoptante tum sibi Sex. Pompeio (tanta erat navalis rei gloria) sed pedibus Caesares futuros, qui maria tempore illo tenerent.

XXIII. Piscium feminae majores quam mares. In quodam genere omnino non sunt mares, sicut in erythinis et chanis. Omnis enim ovis gravidae capiuntur. Vagantur gregatim fere cujusque generis squamosi. Capiuntur ante solis ortum: tum maxime piscium fallitur visus. Noctibus quies: et illustribus aeque, quam die, cernunt. Ajunt

ΑΚΑΔΗΜΙΑ ΑΘΗΝΩΝ

Άγρια. Βυζάντιον

et si teratur gurges, interesse capturae: itaque plures secundo tractu capi quam primo. Gustu olei maxime, dein modicis imbribus gaudent alunturque. Quippe et arundines, quamvis in palude prognatae, non tamen sine imbre adolescunt: et alias ubicumque pisces in eadem aqua assidui, si non affluat, exanimantur.

ΑΚΑΔΗΜΙΑ ΑΘΗΝΩΝ